

Usum in medicina quod spectat, Hippocrates puerperae, ut melius purgetur, praescribit. Simeon Sethi purgare scribit.

Hippoc. l. de morb. mulier.

ARTICVLVS II.

De Astaco.

PUNCTVM I.

De Astaco marino communi.

TAB. H. 2.
Nomen.

Astacus ex sententia Rondeletii, quasi ἀστᾶκτος, id est, non destilans, sed abunde fluens dicitur, quod tubercula plurima, tum alba tum purpurea guttarum, siue lachrymarum specie forcipibus inspersa habeant.

Descriptio.

Est vel Marinus vel Fluviatilis. Ad eum Leo seu Elephante Plinii, vet iste, quem hic descripturi sumus, pertinet. Est autem Astacus colore toto nitido, sed nigritia insperso. Pedes inferiores grandes, ad octo usque habet: ab his grandes ipsos duos multo majores et mucrone latiore, quam locusta, sed specie diversa. Dextri namque summum latum oblongum tenue est: sinistri crassum et teres: utriusque vero bipartitum, ac quasi mandibula cum dentibus infra supraque. Quanquam dextro dentes ferrati sunt omnes, alterius primores ferrati: at interiores tanquam molares. Inferiorum ordo quaternis aequalibus, superiorum ternis inaequalibus expletur. Movent partem superiorem utrique, et ad inferiorem premunt: ac valgi quidem sunt situ inferiore, tanquam a natura destinati ad protendendum et premendum. Supra hosce duo alii hispidi paulo infra os. Mox haud longe infra, branchiae circum os multae et hispidae, quas assidue motat. Hi pedes, qui ori praesto sunt, extantibus quibusdam tenuibus barbulis asperantur. *Dentes* duos habet ut locusta: supra hosce cornicula breviora ac tenuiora quam locusta. Tum alia quatuor eadem specie, sed breviora et tenuiora, super his oculos pusillos breves. Prominet *pars*, cui subsunt oculi, acuta et aspera quasi frons, major quam locustis. Omnino facies acutior, pectus autem latius: totumque corpus car-

Arist. H. A. l. 4. c. 2.

nosius ac mollius quam locustae. Octo *pedum* quatuor bifidi, quatuor non: quod collum appellatur, quinque in partes divisum est extrinsecus. Tum est sexta pars lata quinque producta plagulis. Haecenus Aristoteles. Gesnerus Chelam faciem hominis ridiculam repraesentantem exhibet. Nam Chelae pars minor maximum et aquilinum nasum refert: et quae in utriusque partis confinio apparent verrucae, oculos, si supercilia addantur. Superiorem partem quatenus seu cornicula quatuor supra nasum et frontem eminent, caeruleo aliove colore si pictor inducat, ad repraesentationem pilei auriti et ad latera descendentes, ita tamen, ut aures lateant: retro et circa tempora pili promineant nigri. Facies partim albo inducatur pigmento, roseo fuco niteat. Linguae instar partis chelae majoris tubero rubicundo colore insigniantur. Quod si cristam quoque e pennis praesertim gallinae, capi aut pavonis nutantem, foramini summo indideris, plane Gorgoneam et terribilem habebis faciem.

Nunquam non in Oceano frequentes: in Euxino tamen nulli. In saxis habitare Oppianus prodidit: Aristoteles in terrenis. Circa Thasum et Hellepontum nascuntur. Coeunt eodem modo, quo caetera crustata. Mas foeminaque nulla nota insigni inter se differunt. Nam utriusvis utramlibet forcipem majorem deprehendes; quanquam utramque aequali unquam neutri. Ore mare excipit, cum locustae ad branchias transmittant. Sine humore longius a mari deferri nequit: et tam est loci patrii amantissimus, ut non longe deportatus, eodem adrepat. Polypum extimescit.

Locus.

Oppian. Hal. l. 1.

Arist. H. A. l. 5. c. 17.

Generatio.

Aelian. H. A. l. 8. c. 22.

Aelian. H. A. l. 6. c. 22.